



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R. P. Francisci Svarez, Granatensis, E Societate Iesv  
Doctoris Theologi, Et In Conimbricensi Academia Olim  
Primarij Theologiae Professoris emeriti, Opvs De Triplici  
Virtute Theologica, Fide, Spe, Et ...**

**Suárez, Francisco**

**Mogvntiae, 1622**

Sect. 3. Quotuplex sit actus Fidei.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93448](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93448)

ligimus aptata esse sacula verbo Dei, & alia exempla adducit de eadem Fide, præsertim Noe, & Abraham, quæ plane ostendunt sermonem esse de intellectu fidei, & licet interdum de expectatione, ac spe loquatur, solum est in quantum est effectus Fidei. Præterea fauet multum huic expositioni Concil. Trident. supra, & Arausic. cap. 25. Estq; communis Patrum, Chrysost. hom. 21. citata, & ibidem Theophylacti, & aliorum Græcorum. Ambrosii & Anselm. Item Hieronymi libro 3. ad Galatas cap. 5. explicando fructus spiritus, Bernard. sermone 10. in Psalm. Qui habitat, præsertim vero Augustin. tractatu 79. in Ioann. & lib. 2. homiliarum 32. & epistola 112. & in lib. de peccatorum meritis & remissione, cap. 31. & in Enchiridio cap. 8. & consentiunt scholasticis statim citandis, & ex declaratione definitionis magis cõstabit: nã illa particula *argumentum*, non spei, sed intellectuali Fidei potest convenire.

3. Neg obstat expositio illius vocis *substantia* supra obiecta: tum quia illa non est necessaria, tum etiam quia a suis Auctoribus etiam ad intellectualem refferatur, quatenus res promissæ, & nondum obtentæ, solum videntur habere esse apprehensum, quod in intellectu in primis existit, & per Fidem censeatur quasi subsistere, & habere esse firmum in credente. Item non obstat quod interdum Paulus applicat illam fidem, ad Fidem miraculorum, quia etiam illa Fides substantialiter intellectualis est, & eidem conuenit tota definitio, quod est etiam valde notandum: nã, vt infra dicam, Fides catholica, & Fides miraculorum, seu Fides particularis, in vera reuelatione fundata essentialiter non differunt, sed in aliquo modo accidentali: & ideo Paulus in discursu illius capitis, de illis omnibus sub eadẽ definitione loquitur. Denique sine dubio Paulus de actu Fidei potissimum loquitur, facile tamen potuit definitio, seruata proportionem, ad habitum applicari.

4. Secundo explicanda est ipsa descriptio: nam Erasmus etiam vult non esse definitionem, sed laudem quandam, & encomium fidei. Et potest suaderi primo. Quia datur per quidpiã extrinsecum Fidei, quale est, esse substantiam rerum sperandarum. Secundo, quia non est adæquata Fidei, vt enim dixit Aug. d. cap. 8. Enchirid. spes tantum est de bonis nõdum habitis, & aliquando futuris, Fides autem est etiam de malis, & de rebus existentibus, etiam quæ ad nos non pertinent. Terrio, quia tota illa descriptio videtur fidei humanæ conuenire. At vero communiter Doctores illam declarant, tãquam propriam Fidei definitionem. D. Th. 2. 2. q. 4. ar. 1. & ibi Caiet. & alij, & Soto 1. de Natur. & Grat. cap. 7. alij scholastici cum Magistro in 3. dist. 23. Bonauent. ar. 1. q. 5. Albert. ar. 18. Richard. ar. 4. q. 1. Palud. q. 4. Gabr. q. 2. & Maior. q. 8. Alexand. Alenf. 3. p. quæst. 68. memb. 5. ar. 2. & plerique recentiores illo loco Pauli, & nouissime atque accurate noster Iustinian. a qua sententia recedendum non est, cum sit communis, & possit commode exponi.

5. Dico ergo ibi Paulum, & definiisse, seu descripsisse fidem (vt loquitur Concilium Araus. supra) & quandam effectum eius, seu munus, & officium, propter quod principaliter datur, declarasse. Prior pars videtur mihi potissimum contineri in illis verbis *argumentum non apparentium*, nam vox *argumentum*, idem significat, quod firmum assensum, siue dicamus iuxta latini verbi proprietatem, positã esse causam pro effectu, vt Anselm. & D. Thom. dixerunt: nam *argumentum* dici solet, oratio rei dubiæ faciens Fidẽ: siue iuxta vim græcæ vocis *ὑποκρίνω*, interpretemur manifestationem, seu determinationem, vt Chrysost. Theophyl. & alij Græci loquuntur, siue coniunctionem intellectus, vt loquitur Augustinus. Per illam ergo particulam significatum est, à Paulo, vt exponunt Sancti, præsertim Chrysostomus, fidem debere esse assensum non minus firmum, & certum, quã

sit assensus euidens, quo intellectus conuincitur, & ex necessitate inducitur, & ita per illam particulam distinguitur christiana fides, ab humana; addit vero, *esse non apparentium*, vtq; rerum, seu veritatum, quæ non videntur, vt tota materia fidei comprehendatur, & actus fidei ab actu euidente distinguatur, & ita ibi etiam indicatur ratio assentiendi, quæ esse debet auctoritas Dei, quia nõ posset assensus obscurus esse ita certus, nisi in Deo niteretur, & sic per hæc verba explicata est sufficienter natura actus fidei, & soluta manent secundum, & tertium argumentum.

6. Quoniam verò fides non datur homini propter solam cognitionem, sed maxime propter operationem, ad quam solent homines maxime induci per spem remunerationis: ideo Paulus ad vtrumq; finem, & fructum fidei respiciens, addidit illa verba, imo ab illis incepit, dicens, *est substantia rerum sperandarum*, per quæ homines valde possent induci ad fidem, & opera eius, in illis vero sola illa particula *substantia* indiget aliqua expositione. Habetur autem ibi græcè nomen *ὑπόστασις* quod proprie solet *substantiam* significare, & inde Patres Græci supra allegati declarant fidem esse, per quam in nobis existunt, & quodammodo subsistunt res promissæ, priusquam compleantur. Et est probabilis expositio. Videtur tamen mihi illud prædicatum in eo sensu, formaliter magis conuenire spei, quã fidei: quia per spem quodammodo posidemus rem promissam, & sola fides sine spe non sufficeret, vt res sperandæ in nobis iam subsistere dicerentur, & hoc videtur mihi significasse Damasc. sc. d. cap. 11. Quocirca particula, sic intellecta magis tribuitur Fidei casualiter, quã formaliter, vt in loco supra citato Iob. 19. prius de resurrectione dicitur. Scio quia redemptor meus viuit, & ego resurrecturus sum, & postea subditur, *Reposita est hæc spes mea in sinu meo*, vbi significatur, per ipsam spem reponi in nobis rem promissam, & nihilominus scientia ipsa, quæ nihil erat, nisi fides, vocatur spes, quia causat illam. Et confirmat hoc Paulus ad Heb. 3. vocans fidem *initium substantiæ Dei*, atque hoc modo fere coincidit hæc declaratio cum alia Anselmi, D. Thomæ, & communi scholasticorum dicentium vocari Fidem *substantiam rerum sperandarum*, quia est fundamentum spei, & videtur quidem simplicior explicatio, quia nomen *hypostasis* proprie significat fundamentum, seu substantiam, quatenus substantiæ, & quia proprium est fidei fulcire spem, & fiduciam, non posset enim homo sperare, nisi crederet, ideo certitudo fiduciæ proportionata est certitudini Fidei, & hoc etiam significauit August. qui locis citatis legit fidem *esse substantiam sperantium*, nam est veluti baculum, in quo viatores nituntur ad sperandum. Et ita etiam pater responsio ad primam objectionem: quia hic effectus explicatus est magis propter utilitatem practicam, quã propter solam Fidei cognitionem, & ideo etiam ibi non est posita tota materia Fidei, sed tantum res sperandæ, quia reliquæ ad hunc effectum non pertinebant. Subintelligitur autem sermonem esse de rebus sperandis à Deo, nam de illis in toto illo capite Paulus loquebatur.

### SECTIO III.

#### Quotuplex sit actus fidei?

Quoniam actus fidei reuera vnus tantum sit rationis essentialis, vt videbimus, nihilominus varias recipit partitiones, quas oportet breuiter adnotare, tum vt declarantur voces, quibus loquendum est, cum etiam vt de illa vnitate fidei magis cõstet. Primo ergo diuiditur actus fidei in internum, & externum, quæ diuisio sumitur ex D. Th. d. q. 2. iũcta 3. in illa tamen solum prius membrum pertinet ad propriam fidem, de qua nunc tractamus, & illi soli conueniunt definitiones fidei explicatæ, & tantum etiam de illo dicendum est in sequentibus, actus e-

Ad 2. & 3. suasionem in num. 4.

Probat 2.

Ad 1. suasio in num. 4.

Prima diuisio actus fidei in internum & externum.

Secundo, fauet Concil. Trident. & Arausic. Tertio consentiunt Patres Græci & Latini.

Ad 1. motum in n. 1.

Id.

Ad 2.

Sub. 1. quæst. in sententia Pauli descriptio.

Epiphanius & alij eiusq; sequi prima sententia.

Tertia.

Vera dubii solutio.

Resolutio duo addit, & fidem definiisse Paulum, & de primæ eius munus declarasse.

him exterior fidei solum est sensibile signū, quo per verbum, vel actionem exteriorē hominis, interior Fides significatur, & ita per quandam analogiam signo tribuitur, nomen signati, neq; de hoc actu in ordine ad eius cognitionem, vel speculationem aliud dicere necesse est. In ordine vero ad mores, potest animaduerti, hoc signū dupliciter posse exhiberi à credente, primo sine speciali voluntate profuturi suam fidem, sed vel casu, & quasi naturaliter, seu per inaduertentiam loquens, vel ad alium finem humanum, & tunc talis actus externus nullam habet rationem virtutis, neq; à Theologo consideratur. Alio vero modo exhibetur hoc signum ex speciali voluntate religiosa, ut sic dicam, & vocatur confessio fidei, quam dixit Paulus ad Romanos 10 oris fieri ad salutē, & tunc præcipua ratio talis actus consistit in voluntate confitendi fidem, de qua voluntate inquiri potest, quam honestatem habeat, & quam necessitatem, & ad quam virtutē pertineat, quæ postea in discursu materiz, & præsertim in parte morali tractanda sunt, in disp. 14.

Externus dupliciter exerceri potest 1.

2. diuisio tri-  
membris a-  
ctus creden-  
di Deo, Deū,  
& in Deum.

Eidem actui  
potest com-  
petere tri-  
plex illa ha-  
bitudo.

Aliquando  
tamen inter  
cedit realis  
distinctio.

De 1. mem-  
bro an sit  
actus re ve-  
ra intelle-  
ctus, an po-  
tius volun-  
tatis, Diffi-  
dium Caiet.  
cum Dhr.

2. Secunda diuisio actus credendi esse solet in actum credendi Deo, Deum & in Deum. Hanc tradit Diuus Thomas hic q. 2. ar. 2. & Alef. 3. p. q. 68. memb. 7. art. 3. & alij scholastici cum Magistro in 3. dist. 23. præsertim Durand. q. 7. & sumptim ex Augustino in locis statim referendis. Circa quā dubitari in primis solet. An contineat diuersos actus fidei nec ne? Et resolutio est, non esse necessarios plures actus ad illa tria membra explicanda: nam in rigore distinguuntur tantū secundum varias habitudines ad eundem Deum: nam ut supradiximus, Deus est obiectū materiale, & formale fidei, & præterea est finis vltimus in quem, & ipsa Fides, & ipse fidelis, & quicquid habet, referenda sunt: cum ergo dicimur credere Deo, intelligitur dicenti, & testificanti, & ita significatur habitudo ad obiectū formale; cum autem dicimur credere Deum, significatur obiectū materiale, & ita illa duo coniunguntur in vnum actum, quo credimus Deum esse, vel esse trinum, quia ipse dicit: credere autem in Deum, addit relationē in ipsummet Deum, tanquam in vltimū finem, quæ relatio optime etiam cadit in actū, quo credimus Deo de se loquenti, ergo ad illa tria non est necessaria pluralitas actuum credendi. Dico autē non esse necessariam, quia interdū potest dari actus credendi Deo, qui nō sit actus credendi Deum, ut cum credo resurrectionem futuram, quantumvis de conuerso nō possit dari actus credendi Deum, quin per illum credatur Deo, si est verus actus fidei, & ratio est, quia per particulam, Deo, significatur obiectū formale fidei adæquatū, & cōsequenter indicatur essentia actus fidei, quæ necessario includitur in omnibus actibus. Per particulam autē, Deum, indicatur obiectū materiale, & non adæquatū sed principale, & ideo dari potest actus credendi Deo, qui nō sit credere Deum, & eadem ratione, potest esse actus credendi Deum, & Deo, qui nō sit in Deum, quia relatio in vltimū finem (ut esse potest à credente) non est de essentia actus fidei, sed est separabilis ab illo, etiā circa Deū, ut obiectum creditū verifetur: & ideo etiā dixi, illa tria nō necessario includere plures actus fidei, quia quantum ad tertium membrum, plures actus requiruntur, licet non fidei. Est enim necessarius aliquis actus voluntatis, per quem fiat illa relatio in Deum, ut in vltimū finem, & ideo circa illa duo priora membra, nihil aliud dicere necesse est.

3. Circa tertium autem dubitari solet. An formaliter dicat actum voluntatis, vel intellectus: quod tractat Caietanus dicto art. 2. & refert Durandum supra dicentē, formaliter dicere actum charitatis, quo credens tendit in Deum, tanquam in finem vltimū, ipse vero Caietanus hoc reprobat dicens potius significare actum ipsum intellectus, ut relationem ad Deum, tanquam ad finem vltimū, sicut h-

des formata nō est ipsa charitas, sed est fides, ut participans à charitate ordinē ad vltimū finem. Et in vniuersum, actus imperatus, licet moraliter participet honestatē actus imperantis, per relationē ad finem eius: proprie, & formaliter nō est ipse actus imperans, quæ sententia mihi placet, quantumvis quæstio sit tantū de modo loquendi, & reuera Durand. non contradicit, sed loquitur more Augustini, & aliorū Doctorum dicentū credere in Deum esse, credēdo amare, seu ire in Deum: quod potest dupliciter fieri, primo referendo in Deum ipsummet actum credendi, ita ut credere in Deum, sit credere propter dilectum Deum, & hoc videtur voluisse Caiet. Et est factis propria locutio, iuxta quā potest quis credere in Deum per omnem actū fidei, etiam per illum non credatur Deus, quia omnis actus fidei potest exerceri propter Deum dilectū. Alio etiam modo potest quis credere in Deum, amando ipsum propter se, & si specialiter non referat actū fidei in ipsum, & tunc etiam dicitur credere in Deum, iuxta mentē Augustini, quia credit tendendo simul in Deū, ut in finem, & tunc videtur formaliter denotari actus charitatis, ut coniungitur ad huius fidei.

4. Solet autem vltimo dubitari. An credere in Deum dicat actum fidei formatā, vera charitate Dei, vel possit etiam in peccatore reperiri? Nā quod ille actus sit proprius iustorum, indicat Diuus Thomas dicto articulo secundo. & magis expresse in q. 1. art. 9. ad tertium, ubi ita explicando inquit symboli: *Credo in vnum Deum*, dicit illud intelligi dictum propter Ecclesiam, quæ semper est Sancta, & idem sentiunt alij scholastici, qui simpliciter Deum amorem, & charitatem postulant. Et videtur aperta sententia Augustini tractatu 29. in Ioannem, ubi credere in Deū, exponit per illud ad Galat. 5. *Fides, quæ per charitatem operatur*, quod omnes de Fide formatam intelligunt, & homil. 61. de verbis Domini, similiter ad credendum in Christum requirit charitatem, per quam Christus habet in credente, & fiat *vnus spiritus cum illo*. 1. ad Corinth. 6. ut etiam dicit in præfatione ad Plalm. 67. & enarratione in Plalm. 130. & sermone 7. & 181. de tempore, & idem sentit Anselm. ad Roman. 4. & Beda in id Ioan. 6. *hoc est opus Dei, ut credat in ipsum*. Alij nihilominus contrarium sentiunt, quia licet peccator non diligat Deum super omnia, nihilominus credendo potest in eum tendere, ut in vltimū finem, amando illum, vel amore spei, seu cupiscentia, & propterea credendo, vel amore quodam affectiuo, & obedienciali, quoad fidem, licet non quoad cetera omnia, vel etiā per religionē referendo fidem in cultū veri Dei: vnde Ioan. 12. de quibusdam dicitur credidisse in Christum, etiam in peccato perseuerarent: nam de iisdem dicitur quod diligebant *magis gloriam mundi, quam Dei*, & sic etiā interdum Patres loquuntur de fide peccatoris, ut videri potest in Chrysostomo homilia 30. & 32. in Mat. Aug. de fide, & operibus c. 14. & Bernard. sermone 24. in Cantica. Mihi tamen etiam hæc quæstio videtur de nomine. Vnde breuiter dico, non esse dubiū, quin peccator credens possit modis prædictis tendere in Deum vltimū finem, & in eum suam fidem referre. Itē est certum posse illam habitudinē illa voce significari, quid enim repugnat: imo interdū potest significare habitudinem solam obiecti formalis, ut notauimus supra explicando articulum fidei symboli, *de sancta Ecclesia*. Nihilominus tamē loquēdo de perfecta habitudine ad Deum, ut vltimū finem, clarum etiam est, tantū in iustis reperiri, & per antonomasiam illa voce significari posse, & exillimo Augustinum frequentius ita loqui.

5. Tertia diuisio est, quam tradunt hæretici huius temporis in fidem historiam promissionum, & miraculorum, quam attrigi supra disp. 2. sect. 3. n. 2. & lib. 8. de gratia cap. 16. & illam reieci, non quia recte explicata aliquid falsum contineat, sed quia ab hæreticis

Conciliatur

Diffidium alterum de eodem p. mēbro, an requiratur charitatem.

Qui videantur affirmare.

Alii potius negant.

Authoris resolutio concilians vide etiam supra disp. 2. sect. 5. nu. 11.

Tert diuisio hæreticorum multipliciter duplicat

reticis tradi videtur, ad distinguendas varias fides, cum tamen fides una tantum sit, & illa membra solum materialiter, vel accidentaliter distinguantur. Item quia data est ad introducendam falsam doctrinam de fide iustificante; denique quia nec necessaria est, nec utilis, & eo modo, quo datur, est insufficientis nam fides de Deo Uno & Trino, & de perfectionibus eius est circa potissimas materias fidei, & tamen illa non est fides historica, ut per se constat, & ideo Catholici, illam, quam hæretici vocant fidem historicam, melius appellant fidem dogmaticam, aut fidem mysteriorum, & operum Dei. Similiter præter promissiones, dantur comminationes, quarum etiam est fides, dantur præterea prædictiones rerum futurarum, quæ nec sunt pæne, nec præmia, & tamē sub fide etiam cadunt; fides etiam miraculorum melius sub partitione sequente collocatur: & ideo nulla ratio huius diuisionis habenda est, sed tamen ex illa sumere possumus, sub fide plures cadere materias, à quibus potest interdum denominari.

6. Quarta ergo diuisio fidei, quam etiam attingimus in prolegom. 3. de grat. c. 5. n. 13. est in vniuersalem, & particularem, quia non solum hæretici, sed etiam Catholici vniuntur; & aliqui putant, illa membra essentialiter esse distincta, sed oppositum sentio verum, ut intelligi potest ex his, quæ supra tractauimus, sicut. 3. sect. 10. Fides vniuersalis dicitur illa, quæ per se est necessaria ad salutem, & communis vñs ecclesiæ, Catholica nominatur, tum quia est communis fides ecclesiæ Catholice, tum etiam quia ipsum nomen Catholica vniuersalitate significat. Hæc autem fides vniuersalis est, & quoad personas, quia pertinet ad omnes, qui placere Deo volunt, & quoad tempora, quia semper in ecclesiâ fuit, & quoad loca, quia ubique prædicata est, & prædicatur, & quoad dogmata, quia est de omnibus particulis fidei, & consequenter, etiam de omnibus, quæ in illis continentur, & quæ ecclesiæ reuelata sunt, vel per eam credenda proponuntur. Fides autem particularis dicitur illa, quæ in priuata aliqua reuelatione fundatur, vel instinctu Spiritus S. qui illi æquiualeat, & meritis particularis dicitur, quia in materia, persona, & propositione priuata fundata est. Non est tamen essentialiter diuersa à priori, quia reuelatio, & auctoritas diuina semper est eadem.

7. Hæc autem particularis fides subdividi potest in fidem miraculorum, quæ ad operationem specialiter datur, & fidem aliarum reuelationum, quæ in cognitione fiunt. De priori dicitur Matth. 21. Si habueritis fidem, & non hæsitaueritis &c. & 1. ad Corint. 13. Si habueritis omnem fidem &c. id est, magnam fidem, vel non tantum generalem, sed etiam specialem fidem. Est enim hæc fides specialis, seu particularis, tum ex parte materiæ, quia solum est de tali opere perpetrando; tum ex parte personæ, quia solum datur illi, qui facturus est, vel impetraturus miraculum: tum ex parte modi, quia ex peculiari motione Dei, per eam creditur hoc opus hic, & nunc esse diuina virtute patrādum, quod ad vniuersalem fidem non spectat. Aliud membrum sub nomine prophetiæ indicatur sæpe in Scriptura, ut 1. Thessal. 5. Prophetiam nolite spernere, & multa exempla ex his, quæ adducit Paulus ad Hebræos 11. ad hanc fidem spectant, ut de fide Saræ, & de Iacobo benedicente filios, denique illius etiam mentionem fecit Concil. Trident. sess. 6. Canone 12. potest hæc fides ex parte materiæ esse, vel promissionum, vel comminationum, vel aliarum rerum, & ita non differt ab vniuersali fide, nisi in particulari propositione, ratione cuius non obligat alios, sed tantum recipientem, qui mulem debet, probare spiritus, an ex Deo sint, nec de tota hac fide particulari amplius hic dicendum est, sed de Fide Catholica tractamus.

8. Quinto ergo solet diuidi hæc fides in explicatam, & implicitam, ut supra etiam tetigi disputat. 2.

Suarez de Fide.

sectione 6. & insinuat ab Augustino 19. cont. Faust. cap. 14. sub nominibus fides reuelata, & occulta, quæ sunt facis propria & in Scriptura fundata, quia fides veteris testamenti est obscura respectu nouæ legis, quia in illo continebantur implicite mysteria, quæ in lege gratiæ explicite creduntur, de quibus ait Paul. 2. ad Cor. 3. Nos autem reuelata faciemus gloriam Domini speculantes: itaq; fides explicata dicitur respectu illius rei, seu propositionis, quæ in se formaliter creditur. Implicita autem vocatur respectu aliarum rerum, quæ in altera explicite credita, virtute, vel confuse continentur. Est autem aduertendū, hanc implicitam fidem, non solum respectu intellectus, sed etiam respectu voluntatis, spectari posse, nā cum fides sit à voluntate, ut postea dicemus, potest voluntas velle non solum credere id, quod explicite proponitur, sed etiam quidquid ibi inuoluitur, seu continetur, sic enim vulgus fidelium credit implicite quidquid in Scriptura continetur, scilicet quidquid Ecclesiâ Catholica definit etiam in particulari nesciat, quid illud sit, semper tamen hæc voluntas fundatur in explicata fide alicuius veritatis, ut quod scriptura sit verbum Dei, vel quod ecclesiâ regatur ab Spiritu S. & ita utraq; illa fides proxime, & immediate ad intellectum pertinet, & in ea potest esse magis, & minus, quatenus eadē veritas potest magis, vel minus explicite cognosci, & in hoc sensu fides explicata quādo est valde perfecta, & cum distincta cognitione mysteriorum, ut est in viris sapientibus, solet vocari clara, & distincta, comparatione alterius minus perfectæ, non tamē, quod excludat vnquam obscuritatem fidei. Ex quibus tandem intelligi potest, illa duo membra non distingui, tanquam duos actus fidei, sed secundum duas habitudines, vel denominationes pronientes ab eodem actu, respectu diuersarum rerum. Nam res immediate, & in se credita denominatur explicite credita, id vero, quod in illa continetur, per eundem omnino actum fidei denominatur implicite creditum, & ita non multiplicatur actus ex vi dictæ diuisionis.

Notandum de implicita.

Membra prædicta per varias habitudines distinguuntur iusticiæ.

6. Sexto diuiditur ab aliquibus fides, etiam explicata, in immediatam, & mediatam. Quæ diuisio duobus modis explicatur. Primo comparando rem reuelatam, ad reuelationem: credimus enim, & rem à Deo reuelatam, & cum illam reuelasse, dicunt ergo aliqui fidem reuelationis esse immediatam, quia est de reuelatione propter se ipsam, & ita non supponit alium actum fidei, in quo nitatur: fidem autem de veritate alia reuelata, esse mediatam, quia est propter reuelationem, & nititur in alio priori actu, quo reuelatio ipsa credita est, & has duas fides volunt esse specie distinctas saltem quoad actus. Mihi vero hæc sententia nullo modo probari potest, quia fides una est teste Paulo: & omnis actus fidei, immediate fundatur in diuina reuelatione: ergo in actibus fidei, est saltem vnitas specifica ex vi obiecti formalis. Deinde Deus tam immediate reuelat, & affirmat rem à se dictam, quā quod ipse dicat: imo rem reuelatam dicit quasi directe, reuelationem autem ipsam, seu quod ipse dicat, quasi reflexe, quia dicendo rem, virtute dicit, se dicere: hoc autem non obstat, quominus vtrumq; immediate dicat: ergo tam fides de dicto, quā de ipsa dictione, immediata est. Quod autem ibi supponitur, de distinctione, & dependentia actuum, quibus creditur reuelatio, & res reuelata, in sequenti sect. examinabitur. Nunc (quidquid de illo sit) respondemus nihil obstat, quin fides de remediate reuelata, Fides etiam immediata sit, quia immediate tendit ad tale obiectum materiale, ex vi reuelationis: siue reuelatio credatur per alium actum, siue non: hoc enim ad rem præsentem parum refert: sicut assensus conclusionis demonstratæ est immediata scientia illius veritatis, quia immediate datur propter medium scientificum, etiam si illud medium per alium actum cognoscatur.

6. diuisio in fidem immediatam, & mediatam.

Aliquotum explicatio, quod scilicet prius mario cadat super reuelationem, & secundario super rem reuelatam.

Relictur explicatio 1.

Secundo.

Bene potest fides esse immediata de re supponens reuelationem.

Aliorum explicatio est quod quando res per se reuelantur, a vero in reuelatis continentur.

Relicitur, quia indicat ad hunc scientiam Theologiam quae de rebus est contentis in reuelatis, esse fidem.

Concluditur totius sectionis resolutio.

Certum est, discursum antecedere remote ad fidem.

Discursus proxime cōcurrēs ad fidem, de quo est questio, aut procedit per medium extrinsecum

10. Alio modo solet intelligi illa diuisio ex parte rerum creditarum, quia aliquid creditur tanquam immediate reuelatum, & postea ex illo, per discursum infertur aliud, quod non in se, sed in altero reuelatum est, & ideo assensus de illo mediato obiecto, dicitur Fides mediata: quia distinctione vsus est Barnes. 2. 2. q. 1. art. 10. dubio 4. Et eandem insinuat postea questione 11. art. 2. dubio 1. ubi ita exponit Dicitur Thomam dicentem, quaedam pertinere ad fidem directe, & alia indirecte: nam priora dicit esse, quae immediate reuelantur: posteriora vero, quae ex reuelatis inferuntur. Ego vero existimo, etiam hoc modo, nullam esse fidem mediatam, ita ut assensus sit vere elicitus ab habitu fidei, & eiusdem speciei cum proprio actu fidei: ratio est, quia de essentia fidei est, ut immediate fundetur in diuina auctoritate, tanquam in vna ratione assentiendi; ergo non potest esse verus actus fidei, nisi sit de re immediate dicta à Deo: ergo debet esse Fides immediata. Probatur consequentia, quia si res non sit immediate à Deo dicta, non potest esse sola Dei auctoritas, ratio assentiendi, quia necessarium est, alia via cognoscere, quod sit id, quod proxime reuelatum est: ergo ille assensus mediatum non est fidei, & consequenter non est Fides mediata, nisi de nomine sit questio. Et confirmatur tandem, quia ille assensus mediatum est theologicus, nullus enim alius cogitari potest, qui ad Theologiam pertineat, Theologia autem, & fides distincta sunt, sicut in habitibus, ita etiam in actibus, ut nunc suppono, & inuant dicta supra disp. 3. sect. 11. à nu. 7. & attingitur sect. sequenti. nu. 10. ergo illa fides mediata non est nisi Theologia, & ideo non oportet verbis æquiuocis uti.

11. Ex quibus omnibus tandem concludo, actum fidei in se, & in substantia sua, & specie non multiplicari, etiam si nomina eius ex diuersis accidentibus, vel respectibus multiplicentur. Hoc patet ex discursu facto per omnes prædictas diuisiones; & ratio à priori est, quia ratio formalis obiecti fidei est vnica, & simplicissima, & ideo sub tali modo cadit in omnia credibilia, ac propterea dat prædictam unitatem actibus fidei: nam sola diuersitas materialis, vel alia varietas in circumstantiis accidentalibus, non constituit diuersitatem in actibus specificam, sed ad summum numericam, ut ex principiis Metaphysicæ suppono, neque hic specialem difficultatem, aut rationem inuenio.

#### SECTIO IV.

##### *Verum Assensus fidei per discursum eliciatur.*

**D**Vobis modis intelligi potest discursus esse necessarius ad actum fidei, vno modo antecederet, & quasi remote, & veluti causa per accidens. Alio modo proxime, & tanquam causa per se. De priori genere discursus nulla est questio, quia manifestum est, ad fidem concipiendam humano modo necessarium esse discursum, saltim ad iudicandum de credibilitate obiecti propositi, & de sufficienti propositione. Item saepe potest esse necessarius ad perfectè concipiendos terminos, & quid sub eis comprehendatur, ut satis ex supra dictis in disputatione quarta, constat. Est ergo questio de posteriori modo, quando discursus proxime, & per se cōcurrat, sicut in scientia cōcurrere solet. Et in hoc, est vltimè aduertendū, duobus modis posse fieri hunc discursum in obiecto fidei. Primo inter obiectū formale, & materialia, assumendo rationē formale credendi, pro medio syllogismi, & inferendo veritatem propositionis rei reuelatae hoc modo. Quod reuelatur à Deo est verum, sed hoc reuelatur à Deo: ergo est verum.

Alio modo potest discursus fieri inter ipsa obiecta materialia, ex duobus creditis inferendo tertium, inter quos modos est differentia: nam prior est per medium extrinsecum, id est, per testimonium Dei, quod extrinsecum est rebus reuelatis, & pro medio syllogismi assumitur. Posterior vero est per medium intrinsecum, ex vna proprietate rei creditæ inferendo aliam, vel ex vniuersali particularem, ut omnis anima humana est immortalis, Christus habet animam humanam: ergo habet animam immortalem, & sic de alijs.

2. Est ergo prima sententia affirmans, actum fidei fieri per discursum priori modo, id est, per medium extrinsecum, non tamen posteriori modo. Hanc posteriorem partē nunc omitto, quia recte intellecta, vera est, ut postea explicabo: quoad primam vero partem tenent hanc sententiā Durand. in 3. d. 24. q. 1. nu. 8. Gabr. d. 23. q. 2. art. 2. conclus. 1. & ibi Almaynus. q. 3. & tractatu. 2. moral. c. 3. Marfilus in 3. q. 1. 4. art. 1. in 3. p. art. conclus. 1. Vasquez. 1. p. disp. 5. probari potest primo. Quia homo per fidem credit propter reuelationem diuinam: ergo præbet assensum rei reuelatae, quia prius tempore, vel natura præbet assensum reuelationi, ergo intercedit ibi verus discursus. Antecedens, & prior consequentia constant ex superius dictis. Diximus enim disput. 2. sect. 4. inter veritates credendas per fidem, esse aliquem ordinem necessarium, saltem inter eas quae continent dependentiam obiecti materialis à formali, in ratione obiecti credibilis. Et præterea diximus disputatione tertia, necessarium esse cognoscere, & iudicare de veritate obiecti formalis, id est, de reuelatione diuina, quod facta sit, ut possit intellectus per eam moueri ad assentiendū materiali obiecto. Hinc ergo probatur consequentia, quia illi actus circa obiectū materiale, & formale, sunt distincti, ut sumitur ex doctrina Diui Thomae 1. parte quest. 14. articulo septimo. Vbi dicit, Quoties vnum cognoscitur, seu iudicatur, per aliud, seu propter aliud, fieri per actus distinctos, & similiter quest. 19. art. 5. dicit, quando voluntas vult vnum propter aliud, actus esse distinctos: ergo similiter in presenti, cum credimus materiale obiectum propter formale etiam credimus, necessarij sunt actus distincti. Item ostendendum potest, quia obiecta talium actuum distincta sunt, & distinctam veritatem continent, habentque inter se ordinem, & dependentiam in ordine ad fidem: ergo hoc sufficit ut actus distincti sint. Ergo est inter eos proprius discursus. Probatur consequentia, quia vnus pendet ab alio per se, & intinsece, ac proxime, vnde ab illo manat, tanquam à propria causa: credo enim hoc esse verum, quia credo Deum illud dixisse: ad discursum autem sufficit, quod vnus actus sit ab alio propter connexionem, siue tempore sibi succedant, siue natura, ut docet Diuus Thomas 1. p. q. 14. art. 5. Et confirmari hoc potest, cum exemplo fidei humanæ, in qua sine dubio assensus datur per discursum, & non propter aliam rationem, nisi propter dependentiam vnius iudicii circa rem creditam, ab alio iudicio, vel iudicijs circa testificantē, & auctoritatem eius. Tum etiam exemplo discursus, qui fit in assensu scientifico: nam solum intercedit propter diuersitatem actuum, quorum vnus ab alio per se pendet: ergo similiter &c.

5. Secunda sententia est assensum fidei posse fieri ex discursu, non solum per medium extrinsecum, id est, per reuelationem ipsam, quæ sit medium syllogismi, sed etiam per medium intrinsecum, ex vna vel pluribus veritatibus reuelatis aliam inferendo. Ita sentit Cano lib. 6. de locis capit. vltim. & Vegali. 9. in Trident. cap. 39. & idem sentiunt Aufeolus, & aliqui Doctores in prologo, qui non distinguunt inter habitū Theologiae, quatenus præbet assensum conclusionibus, ab habitu fidei: nam eorū fundamentum necessarium esse debet, quod assensus talium conclusionum.

aut intinsece cum.

sententia admittens solum prioris modo discursum ad fidem.

Eius fundamentum.

Confirmatur exemplo fidei humanæ & scientiæ.

sententia admittens discursum vtroque modo.